

nostrum qui cum eo vivit et regnat Deus etc. ». Demum imperialem coronam cum sua tiara allatam sibi ex altari (ut de aliis diximus) imponit super eius caput dicens: « Accipe signum glorie et diadema regni coronam imperii in nomine † Patris et † Filii et † Spiritus Sancti; ut spreto antiquo hoste spretisque contagiis vitiorum omnium sic iustitiam misericordiam et iudicium diligas et ita iuste, pie et misericorditer vivas ut ab ipso domino nostro Jesu Christo in consortio sanctorum aeterni regni coronam percipias, qui cum Patre etc. ». Et mox imperator osculatur pedes pontificis et surgenis discingitur gladio eumque armigero suo tradit, et ipse cum corona, sceptro et pomo procedens ab illis duobus diaconis ducitur ad sedem imperialem paratam sibi a dextra pontificis inter pontificem et priorem episcoporum cardinalium, quae sedes altior erit sedibus cardinalium et humilior papali sede, habetique aureum pannum post tergum et parvum scabellum ad pedes, et ibi sedebit. Sedente imperatore in sede cum imperialibus ornamentis prior subdiaconorum apostolicorum cum aliis subdiaconis et cum capellanis aulae imperialis descendit ad confessionem beati Petri alta voce simul cum ipsis facit laudes imperatori dicens: « Exaudi Christe ». Scriptorii vero urbis cum cappis sericeis stantes superius apud chorum respondent: « Domino Carolo invictissimo romanorum imperatori et semper augusto salus et victoria ». Qua laude tertio repetita, prior diaconorum cum suis tribus vicibus dicat: « Salvator mundi », et serinarii vicissim respondeant: « Tu illum adiuva ». Et deinde iste cum suis duabus vicibus dicat: « Sancta Maria »; et illi vicissim respondeant: « Tu illum adiuva ». Et sic deinceps: « Sancte Michael, Sancte Gabriel, Sancte Rafael, Sancte Joanes Baptista, Sancte Petre, Sancte Paule, Sancte Andrea, Sancte Stephane, Sancte Laurenti, Sancte Silvestri, Sancte Leo, Sancte Gregori, Sancte Benedicte, Sancte Basili, Sancte Saba, Sancta Agnes, Sancta Cecilia, Sancta Lucia; et semper respondeant: « Tu illum adiuva ».

Post haec omnibus ad locum suum revertentibus cantatur: « Alleluja » vel tractus, et deinde evangelium, credo et offertorium. Deinde imperator et corona et manto depositis, sine sceptro aut pomo descendit et ad Pontificis pedes aurum offert quantum sibi placet, et deinde non revertit ad suggestum sed procumbit super faldistorium et a dextra parte altaris sibi paratum in loco ubi non impediatur credentiam et ibi expectat usque ad

*coronam imperialem coronatur
verba papae*

imperator osculat pedes pontificis

imperator coronatus sedet apud pontificem

Oratio schrinarii in choro

letaniae pro imperatore cantantur

missa complectitur

imperator offert aurum pontifici